

tus, & ita receptus ut propria nationum veterrimæ leges quasi penitus apud ipsas obsolescerent. Quippe Hispani, Germani, Galli, Angli relictis Visigothorum, Saxonum, Alemannorum, Francorum legibus Romanas Iustini ad se alias nihil pertinentes & exteras amplexi sunt, cum primum Lotharii Imperatoris tempore è pulvere in Italia protractæ fuerunt. Tanta visa est his legibus inesse ratio, tanta æquitas, tanta copia.

Petrus 90. Alter legislatorum
Rufi Imp. hujus ævi fuit *Petrus Rufus*
unde leges hausit? forum imperator. Verum illius, ut ferunt, præcipuæ partes hæ fuerunt, non ut ex sua ratione (quamquam ea gaudebat admodum perspicaci) leges genti suæ excogitaret, sed ut Europam, Germaniam cum primis lustrans, quæ ex moribus finitimorum disceret, in suos transferret pro re nata, & leges deinde scriptas ex nostris Codicibus exciperet in unumque corpus redigeret.

Quidquid ergo ratio in his potuit, antiquæ illi non hodiernæ debetur, præterquam quod ingenio nationis accommodandæ certo modo erant, quem genium perspicere etiam sine sublimi ratione haud fuisset difficile.

91. Veterum autem legislatorum multo fuit alia conditio. Populum nacti erant rudiorem, libertatis antiquæ amantio-rem, quemadmodum *Theseus* qui ex pagis in urbem athenas congregavit populum libertati naturali ex antiquo assuetum. *Lycurgus* non tantum accepit rudes Spartanos, sed rudes etiam manere voluit, & legibus oppido arduis instruxit, quæ neque cum pristino eorum more, neque cum moribus aut legibus finitimorum quidquam haberent commune. Cumque alii legislatores populum suum quibusdam fomentum deliniant ad lubentius parendum, quemadmodum *Petrus gallicas delicias, foeminarum conventus, scenas, convivia ad*
hoc

Veteres legislatores difficilius negotium nacti; perfecterunt tamen;

hoc ipsum indixit: *Lycurgus* contra, paupertatem prope Evangelicam, labores, in mediam imposuit; quodque jucundissimum solet esse civibus, & naturali propensione congruentissimum, abstulit, nempe ut liberos patribus eriperet, eosque communes faceret. Pervicit tamen acutus Philosophus: & quamdiu his legibus Sparta stetit, stetit antem seculis bene multis, tamdiu Sparta stetit suus honos & securitas.

92. Quid memorem *Solona*, quid *Zoroastren*, *Anacharsin*, *Pythagoram* ceteros? qui quanti ingenio ac sapientia fuerint, vel hinc facile patet, quod *Plato* Philosophorum princeps, & post eum *Aristoteles* uterque de republica & legibus scribens efficere non potuerint, ut vel unus Græciæ aut alterius gentis pagus ex illorum norma vivere cuperet. Tantum igitur in regno rationis cum valuerint *Plato* & *Aristoteles*, quantum valuisse censendi sunt illi?

Plato autem & Aristoteles nihil obtinuerunt.

Jam quando rari sunt hodie *Platon*, quanto rariores sunt *Lycurgi*? & quanto tenuius hodie esse regnum rationis colligitur ex hoc de Legumlatoribus argumento?

Conferat aliquis *Mori Utopiam* aut rempublicam *Severamborum* cum republica *Platonis* aut *Politica Aristotelis*. Dempstis iis, quæ ex *Lege Christiana* deprompta sunt nescio an ingenium *Mori*, ut ut insigne, *Platonem* adæquet. *Severambi* autem quid nisi somnia & sordes & carnis corruptionem offerunt? adeo ab his exulata sana ratio.

93. Sed, ne principis in *Romulus* orbe reipublicæ initia prætereamus, quis fuit *ROMULUS*? *Pastor spurius*, & si verum dicendum est, *latro*; & tamen legislator. *Numa* vero *Pompilius Etruscorum* eruditus disciplinis pauca addidit meliora præter ritus quosdam externos & religionis opiniones, quas è republica non esse judicatum

tum est tum, cum aratro forte tactum Numæ sepulcrum libros ejus prodidit. Certe jubente senatu exusti sunt.

Germanæ veteres leges ab hodiernis doctis laudantur.

94. Quod si de antiquis Germanorum legibus hodiernos rationis reges interrogamus, ii agnoscunt in illis plus rationis inesse, quam in hodiernis. Novi enim Jurisperiti, Gundlingius, Heineccius nec pauci alii contendunt illas potius veteres Alemannorum, Bajuvariorum, Francorum nobis esse discendas, quam has usu nunc receptas Romanas: & multum in eo conatum nonnulli adhibuerunt adhibentque etiam nunc ad Romanas leges à Cathedralibus primis deinde etiam à foro, si ex ipsorum arbitrio res penderent, ejiciendas, Germanasque obsoletas reducendas. Quod nisi existimarent hi, in veteribus illis plus esse rationis, qua fronte illas vellent imponere nostro seculo in tanto rationis regno? Quod si vero existimant minus inesse rationis vete-

contra suamet vota.

rum legibus, & nihilominus resuscitare eas nostro tempore laborant, quomodo ipsi hi proceres ad regnum rationis pertinere possunt, quorum studium eo tendit, ut, quæ minus rationis habent, nunc maxime vigeant? Si vero veterum legibus non tantum horum opinione sed etiam vera plus rationis adest, quomodo hæc nostra ætas dici potest rationis regnum præstantius habere præ veteri, saltem quod attinet ad hanc politicam scientiam & legislativam? Quocumque se vertant Regni rationis proceres suis se pedicibus involvunt, & unde ex regno rationis moderno suppetias advocaturi sint ignoro.

95. At enim leges hæc *Hercomanni* usitate, & *Hercomanni* lex habet incommoda: *Hercomanni* ille Germanorum ex antiquo Præses invictus multa habent inconvenientia, quæ Ratio nostra in tanta luce tanto regno posita satis agnoscit. Emendanda sunt igitur ista, & tota alia reipublicæ induenda

enda facies, leges abjiciendæ, novis jussis immutanda pleraque?

quæ & olim agnita fuerunt,

Ad hoc non una patet responsio. Cum primis enim qui sit, ut nunc potissimum juvenis mundus peccatum istud agnoscat tanto tempore incognitum? an mathesis an philosophia experimentalis, an jus naturæ miserum larvatumque, an major jam in orbe justis cura & amor, an veri summique boni purior jam intentio aperuit oculos? an potius libertas exlex & commodi caduci non justis serva voluntas & DEI quædam regnatoris ac judicis oblivio occæcavit? Non ego hic feram sententiam. Est qui judicet & parvum & magnum in celo DEUS, quem miseri fortes spiritus rident, *bonesti* illi *pueri* velut pictum habent.

Enim vero majoribus nostris haud sane ignorati sunt nonnulli in legibus, moribus, atque reipublica defectus, nec ratio illos deseruit, ut isti autumant:

sed ii prudentes viri fuerunt, qui non quidvis animo occurrens *Rationem ipsam* statimque sequendam esse existimarunt: quin examinares omnia sedulo & decies ac centies ad trutinam sacram profanamque vocantes, ratione solida ac superiore agnoverunt, fatius esse tolerare leges aliquousque incommodas, quam ad primum statim commodi apparentis aspectum demutare. Præterquam enim quod pessimi exempli sit reipublicæ ac legum mutatio, & subditos tam veteribus legibus, quippe quæ mutandæ visæ sunt, inobedientes faciat quam novis, quippe quæ usu nondum probatæ mutationem ipsæ promptiorem metuunt: adest in novis legibus ac mandatis ea ipsa natura, quæ in veteribus. Etenim quis nova mandata præstabit ab omni incommodo defectuque secunda? Plerumque autem accidit ut defectus parvi emendentur, seu potius commutentur majoribus. Ejus rei multa & olim & hodie exempla fuere. Romanicus

dericus Gothorum in Hispania rex ne nobilitas adversus regem vires caperet duabus usus est artibus, primum nobiles viros ad aulae delicias ex provinciis traxit, & à ludis equestribus ac belli artibus abstinuit; tum arces & munimenta regni diruit, nequis regni perfidus in iis se communiret: sic regni quieti consultum pulcherrime putabat, & aeternum fore Gothorum solium. Verum non hoc opus erat Gothis, sed iustitia ac temperantia tum in rege tum in nobilitate majore: quae tamen regni vera firmamenta inconsultus princeps subvertit. Intemperante enim libidine regis offensus violatae Virginis pater Iulianus Comes dum regem emendare cogitat rursus ipse majore vindictae intemperantia sese, domum suam, regem, regnum, nobilitatem cum plebe, ecclesiam & religionem in horrendas illas calamitates praecipitavit, quas Mauri à Iuliano in Hispaniam illecti septingentis amplius annis in Hispania,

Gallia, Italiaque ediderunt. Tantum est in praecipiti rerum mutatione ex quo vis apparente commodo periculi.

Quodsi dein in novis mandatis usus magister rerum ostendat alia incommoda pristinis saltem non minora, quid tum faciendum? an toleranda ista? Et si haec tolerantur, cur ferri priora non potuissent, quae tolerabiliora usus legum princeps jam fecerat, cum ista sint nova, insolita, & ob hoc minus tolerabilia? An potius ob nova incommoda apparentia rursus mutandae res sunt? Et quando erit mutandi finis nisi cum eversione & interitu?

Haec aliaque plura majoribus satis nota junioribus incognita aut pensis non habita demonstrant, quanto excellentiores in regno rationis fuerint illi praestitis. Certe ipsum studium vetustatis legum servandae & non nisi in necessitate paucissima quaedam eaque paulatim mutandi

studium non mutandi leges sapientes faciunt.

tandi sapientes viros usu longo facit: insipientes vero sunt, qui ex trium mensium heterodoxo Juris naturae collegio rationem ita turgidam reportant, ut legum se posse esse iudices sperent.

De Administratione Iustitiae.

96. Haec, ut semel dicam, magno mihi argumento est, regnum hodiernum rationis esse impotentius pristino. Namque ubi vere regina est & regnat ratio, illa non debet iniustitiam subministrare arma sed eripere; quae non eripit arma sed ministrat ratio, eam tu rationem non dixeris, ne dum reginam,

Ratio hodie argutior

Concedamus jam hodiernis, quae supra negavimus, videlicet rationem hominum nunc esse acutiorem, pueris maturius venire nequitiam. Addam his plura: Rustica gens jam est quam olim doctor: didicit aliquid

gallicum sonare, edere latina verba, ea cum primis quae in foro iudicum personare solent, & sunt quidam advocatis non infantiore. Hoc vero totum servitne ipsis ad magis abstinendum à litibus? ad quietem in pago majorem? Ad vacandum diligentius officio in republica suo? Ad iustitiam denique in republica magis colendam? Usus docuit, doctos hos rusticos omnia his contraria agere: lites seminant, causas protelare amant; transactionibus aures occludunt; quietem pagi turbant; agriculturam negligunt; imperare aequalibus velle incipiunt; forum occupant & improbitate sua efficiunt, ut aliorum etiam causa lentius procedant, ut si quorum interest damna interim multa patiantur, ut querelae publicae seminentur, verbo ut Iustitia agris administraretur & republica seignius geratur.

97. Neque mihi dicas, hoc non esse rationis vitium, sed hominis. At

hoc mihi non negaveris, doctrinam ita intempestivam esse illud instrumentum malorum, & eos, qui doctrinas intempestivas in laudibus ponunt, in eoque consistere regnum rationis volunt, malorum esse causam. Ut qui puero cultum in manus dat, tamen si cultus malus non sit, instrumentum tamen est malorum, & inconsultus ille præbitor malorum est causa. Quoque acutior cultus est hoc pejus peccatur; ut quo acutiores fiunt homines, remota vera soliditate acumini fere inimica, hoc majus ipsis errandi peccandique periculum creatur.

Hodie in foro magis forte peccatur, 98. Modo certe in foro causæ aguntur lentissime aut potius premuntur; cum olim uno solo die etiam gravissimæ terminarentur. Hoc valent doctrinæ advocatorum & subtilitates.

Non eo inficias, & olim peccatum in justitiam fuisse, quam venalem exhibere multi, & olim op-

pressos pauperes fuisse, & divitum favori ac potentiorum metui subjacuisse iudices. Illud ajo, peccatum olim non nisi simplex nunc per istas doctrinas fuisse duplicatum. Nunc enim oppressiones illæ & iniquitates nequam cessarunt, & accessit his iniquitas alia, ut injustitia quasi perpetua evadat ex protelatione litium. Ponè enim quendam injustum possessorem prædii lite committi cum Sempronio cujus est prædium. Ille centum annis vexat Sempronii genus lite producta, & ad ultimum iudicem corrumpit, ut iniquitas in possessione maneat. Quid utilius fuit Sempronio? An primo statim anno cadere causa etiam justissima? An centum annorum inimicitias, agitationibus, sumptibus inquinare etiam animam, valetudinem atterere, & rei familiaris etiam reliquum in fori baratrum misere dejicere?

Veteres id unum præcipue habuere cordi, ut primum ambages judiciorum reci-

maxime protelando.

Veterum brevitatis.

reciderent, deinde ut pleraque etiam summi momenti negotia ex æqui bonique viri arbitrio decernerent, non ex formulis & artibus causidicorum. Utrumque per longissima temporum spatia obtinuerunt feliciter. Causidicorum enim ambagibus ante hos ducentos annos locus non fuit, ut tricennariæ, centennariæ & eo amplius lites essent. Et ante hoc tempus pleraque litigia ad arbitros delata sunt, ita quidem, ut etiam proprii iudices ac ipsi proprii principes & reges pro arbitris eligerentur, quod ipsi tum vocabant *Einen Hintersgang hinh Unsern Gnadigen Herrn* &c.

Turcarum iudicia.

99. Apud Turcas sine ullis anfractibus Jura dicuntur. Peccatur hic quidem & Jus sæpe violatur; Sed peccatum alterum procrastinationis abest.

Olim pauci consilarii

100. Juvat ad extremum hoc quoque addere: Olim principum concilia fuisse viris rara: pauci togati totum erant concilium: nec in tot classes divisa illa

turba fuit. Nunc & classes istorum multæ sunt, quarum singulæ singulis tantum negotiis præstant; & classes singulæ triplo plura aut quadruplo quam olim capita numerant. Interea nec populus crevit nec opes: nec lites decreverunt, nec auxit justitia: & ordo rerum etiam intricatior est: & tot ventribus alendis vix populi sanguis ac sudor sufficiunt. Quodsi hodie regnum rationis majus est, cur hi, multi cum sint, ratione sua tanto ac olim majore non idem saltem præstant, quod præstitere olim pauci, iique, ut hi ajunt, minus docti & ratione imbecilliores?

Apage igitur gloriatio- nes istas intempestivas de regno rationis hodierno tanto intervallo antiquitatem superante.

De Oeconomia, Tributis, Commerciis.

Amplissimus hic foret campus si per singula ire presso vestigio esset ani-

animus. Sed eadem ego qua cetera brevitate & majore hoc absolvam.

Oeconomia non solum in boum cura est

101. OECONOMIAM hodie plerique in sola pecunia, boum, agnorum ac victus curatione constituunt, pudendo sane errore, & quam parum jam regnum rationis vigeat, manifesto argumento. Quippe veteres agnoverunt, Oeconomiam primum in familia, uxoris, servitii atque affinium recta coordinatione versari; cetera quæ mox dicta sunt tanquam instrumenta mortua non quidem negligi, sed propter alia tantum curari non propter se. Audias hodie, qui dicant de affine suo: Bonus hic vir est Oeconomus; sed cum uxore sua discors est, aut in filios ultra modum indulgens, aut servitium esurire cogit. Hysteron proteron.

Filiorum hodie cura quæ?

Quid quod nobilitati maxime dedecori est filiorum habere curam. Pudet matres aut tædet soboli præbere ubera in hunc solum

finem à natura accepta, non ut publice ostententur falacibus oculis, aut innocentibus obtrudantur.

102. Ceterum rei quæque curam hodie non esse magis ex rationis legibus, publica miserorum voce constat. Cum moriuntur divites aut saltem locupletes, Nobiles, proceres, quid fit? Tot ac tanta millia æris alieni leguntur: famulorum defraudatur merces: artificum operibus acceptis nullum redditum pretium: viduis, orphanis, Ecclesiis, Xenodochiis detractæ pecuniæ in gulam dejectæ aut in canes, equos, histriones dispersæ: gemitus pauperum & maledicta personant deceptorum. Eaque pestis est tam frequens hodie & ordinaria, ut prima fere sit ea auditis mortibus interrogatio & sollicitudo: Quantum reliquit debitorum?

Deinde luxus semper Oeconomiam inimicus quantum non increvit hodie? Videas Amaryllides paganas

nas taniis, serico, multitio, versicolori veste ita comptas, ut si vel parum auri adjicias, vix olim reginam vidisses tam superbe ornata. Nihil jam dicam de nobilitate, quam mercatorum ac civium primi æmulantur aut superant; nihil de Aulis principum. Omnia quæ mensam onerant, quæ corpus tegunt, quæ domum ornant, ex alieno sole triplo ære petita sint necesse est, ut placeant. Oeconomiam partem dixit Cato esse hanc, si parum emas, multum vendas. Cicero magnum vectigal ajebat esse parsimoniam. Nunc quidem vendere quidquam pudor est, prodigi debent omnia, omnia emi. Parcere autem suis tam est rarum, quam frequens nec alienis parcere.

Pauca tantum dixi & in vulgus nota: ex quibus non video, quanta eluceat ex hodierna Oeconomia rationis hodiernæ præstantia. Certe eadem fere fuit Constantinopoli Oeconomiam facies tum, cum ma-

Exemplum Græcorum.

gnis passibus Græcorum Imperium in ruinam properavit. Cum enim serica merx tum temporis nova esset rara, & uncia una multis aureis emeretur, nemo tamen erat, qui dubitaret tot aureos, quos solos forte habebat, expendere ut unam unciam de succo & saliva abjecti vermis adipisceretur. Legatur Historia Byzantina. Sapientesne hi fuerent an fatui?

103. TRIBUTA hodie sunt illa ara Lugdunensis, ad quam multorum ingenia decertant. Illi certe, qui Principibus modos & artes produnt, quibus plus detrahere subditis possint, præ ceteris pollere ingenio, & rationis in regno aut primi aut primis proximi esse censentur.

Sed illis nuperus quidam scriptor caput lavit in bello, cui titulus: Beweis, daß die Universal-Monarchie die größte Glückseligkeit von Europa überhaupt, und ins besondere von Deutschland wäre.

K

Ubi

Ubi paucis rem decernit: Nullum esse plagosum ex pago quovis Orbilius seu ludimoderatorem, qui id non omni momento possit suggerere Principi cuicunque. Quanti enim ingenii est dicere Civibus: post-hac quotquot in aedibus vestris sunt fenestrae, tot solvetis Philippaeos: aut, colonis: quot jugera quot juga bouum villa habet tua tot florenos, tot aureos pende, & sic porro. Quin ne his quidem titulis opus est confingendis: sed malent subditi ex Principe audire: Tantum aëris mihi opus est ad pacem tuendam: pendite. Malent hoc, inquam audire, quam titulis inventis oblini sibi os. Cum Carthaginensium portus à Romanis esset occlusus, civitas obsessa, nullis fuit opus titulis, nullo ingenio: praesens patriae necessitas viris elicuit nummos, fabris operam, feminis mundum muliebrem, ut ex argento etiam ligones cuderentur, & ex Virginum amputata caesarie rudentes fierent ad novum portum effodiendum & no-

vam classem mari imponendam. Alatur in cives Principis cura & patrius amor; nullus est potentior ad ultima quaeque eliciendum titulus, nullus etiam majore cum ratione conjunctus, nullus regno dignior.

104. An magis ex ratione hodie imponantur tributa populis ac olim, nimis delicatum est Argumentum, quam ut ego illud exsequar.

Rursus, an magis ex ratione tributum ferant & onus tolerant populi, ne hoc quidem tractari à me convenit, nisi quod impatienti populo hoc unum dicere possim, olim quoque & Romanorum tempore, quorum moderatum laudatur imperium, sub ipsis etiam Christianis Imperatoribus magna fuisse pensa tributa. Legatur vel solus Ammianus Marcellinus historicus gentilis, quid Gallia pendere solita fuerit, & quantum Julianus Augustus apostata remiserit. Eaque conferantur

ferantur cum temporibus nostris. Certe mirum videri non debet, si tempore nostro crevere tributa, quia & pecunia & pretia creverunt auro Americae illato. Neque rursus Principum licentiam probo, si illi ex solo eo capite, quod plus pecuniae adsit, plus etiam exigant. Certa enim res est, nullum omnino adesse Principibus Jus vetustigalia exigendi, nisi suam hoc est publicam necessitatem & utilitatem, quae aliud agunt, eos aliena auferre. Et quamquam populis ordinarie non competat facultas examinandi necessitatem hanc, nisi legibus, antiquis patris, consuetudine aliisque Juris titulis id sibi reserverint; nihilominus Principes etiam non examinantibus subditis habebunt, qui examinet, & ad dicendam causam vocet, & nequiter in hoc agentes condemnent.

Sed tempus manum de hac tabula retrahere, argumentumque, quod, cum sit definitum, nihilominus

tam lubricum existimatur ob delicatas regentium aures, tandem desererere. Id vero perspicere necdum potui, num in hodiernis tributis tam excellens appareat praeter antiquis regnum rationis? & hoc claris argumentis docenti aurem lubens dabo.

105. COMMERCII ^{Mercatus hodie celebres.} certe hodierna aetas videtur triumphum rationis adornare velle. Ea vero mire hodie florent. Isque flos videtur unice industriae ac magnitudini hodiernae rationis deberi.

Quod ad florem hodie ^{Forte non magis.} commercii attinet, fortasse sibilis excipiar, si dixeris, hodierna commercia non magnopere praeter antiquis excellere. Velim autem hic praedicta poni, hoc est ignorantiam rerum. Qui hodierna veteribus praefereunt, plerumque vetera ignorant, & nihilominus comparationem instituire volunt inter vetera ac nova. Quod cum fieri recte non possit, vere dixi ego, praedictis laboro.

laborare istos, qui iudicant quod ignorant.

quam
olim

In universum igitur ajo, commercia hodie non multo majora fortassis esse, sed aliis tantum locis nidum ac sedem posuisse. Hodie Angli partem mercatum tenent, quam olim Batavi fere soli tenuerant. Quippe Elisabetha regina coepit mare Mediterraneum triremibus premere, ut merces importaret Turcarum litoribus, aliasque hinc peteret. Ita quod mercatum accessit Anglis, decessit Batavis. Ante Batavos Orientis exuvias occidens petivit per manus Venetorum, qui per Ægyptum, mare rubrum & sic porro à Persis & Indis acceperunt merces. Nunc Veneti jacent, stantibus Batavis. Cum Venetis porro jacet Norimberga vastum olim emporium & Antverpia etiam vastius. Rursus ante Batavos Indiarum opes Lusitani regebant, pulsi deinde à Batavis. Nempe quem admodum accidit litteris ut migrent de gente in

gentem, sic fit etiam commercii. Remotissimis illis temporibus mercatibus eminebant Ægyptii: illos Tyrii exceperunt ac Sidonii reliquique Phoenices: hos secuti Græci fabulis multis dedere ansam navigationibus ad antipodas institutis, quod existimat eruditissimus Boicæ Cancellarius Joan. Georg. ab Herwart in explicatione tabulæ Isidis, sive mystica Græcorum Theologia. Ait enim heroës sive regum filios jam virtutis causa, jam ut offensam patrum luerent, missos ad infernum annis tribus: quod ille tempus navigationi Indicæ sufficiens reperit, sacris etiam litteris Salomonis classem referentibus fretus. Infernum autem antipodas interpretatur, quibus solem deesse veteres multi existimabant, eum, cum occideret, in mare demergi putantes. Quidquid id est, Pœnos seu Carthaginenses præter amplissimum in Europa, Asia atque Africa mercatum ad Americam etiam sese extendisse decantatum est.

106. Quod

Rationis
vis in
mercato
provehendo
olim major:

106. Quod vero de industria & acuta ratione commercia nostra evehente, supra est dictum, id hodiernæ ætatis esse laudem vehementer nego. Duo sunt maxime rationis monimenta, quibus mercatum amplitudinem debet mundus. *Primum* est acus magneticæ ad navigationes usus: *Alterum* est Geographiæ ac Cosmographiæ interior cognitio. Nam acus illius ope pervia jam sunt omnia maria, in omnem partem ratibus secanda; cum ante hanc vix auderent nisi littora raderet, paullumque ab iis vento rejecti cæco se tantum fato permetterent. At Cosmographiæ penitus studium detexit terræ figuram sphericam, argumenta præbuit terrarum ultra oceanum jacentium obventos hinc ruentes, ob ipsam terræ figuram & astrorum cursum, ac cetera.

cui in-
grati sunt
moderni,

107. Jam vero, obsecro, quæ frons est quæ vecundia, tam pulcra rationis humanæ inventa

huic nostræ ætati adscribere velle ac dicere: Nos poma natamus! nostra manus & non simplices avi nostri fecerunt hæc omnia. Imo simplices illi avi, quos stupidos & ignorantes juvenus nostra credere docetur à multis, si fuerent ipsi, quorum industria, quorum arte, ingenio solido, animis magnis hæc reperta fuerunt: eoque ipso tempore fuerunt reperta, quod tempus nostri pueriliter rident & ab ignorantia traducunt. *Pere-* nihil tale
ant hodie & ex hominum inventu-
memoria deleantur illa ve- ri.
terum simplicium homi-
num inventa, non dubito
capite meo certare, omnes
hodie Mathematicos, Cos-
mologos, Ontologos, Phi-
losophos experimentales
non fore idoneos, ut non
dicam hoc ipsum, sed ali-
quid saltem huic simile ex
se se inveniant. Seculum *Seculum*
fuit decimum quintum à XVtum
salute per Christum red- bonorum
bita, quo hæc pulcra in- inventrix
venta ratione excogitata
sunt: at illud seculum, si
novos istos heroës Tho- à noyato-
masium aliosque audias, ribus ru-
K 3 adeo